



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Lambertvs Ep. M. 17. Septembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

S. LAMBERTVS EP. M.

17. Septembris.

LAMBERTVM Traiectensi mitrâ
 Lornatum Theodoricus Rex in exi-
 lium expulit. Ille cum in Monasterium
 Stabulense se recepisset, tum denique
 in patriâ sibi visus est vivere, exilium
 omnium miserrimum maximumque
 mundum ratus. Obsequio sancto fasces
 suos ita submitit, ut Abbatis imperio,
 sævissimâ hieme, sub cruce precando
 noctem transegerit, unico contra frigo-
 ris asperitatem cilicio armatus: sed hoc
 scilicet divini in pectore ignes propul-
 sarunt, quos in reducis vultu splendor
 insolens prodidit. septimo abhinc an-
 no cum Pipinus Rex Traiectensibus
 Pontificem suum, Pontifici solium suum
 reddidisset, hic tum gratum se fore
 existimans, si regis famæ & saluti con-
 suleret, liberrimis verbis ob pellicem
 Alpaida castigavit, hanc neque pocu-
 lo neque alloquio, licet multum am-
 biret, dignatus. Ostendit etiam hæc,
 quid mulier irata & pellex posset; &
 germano adnitente Dodone, L A M-
 BERTVM cum sociis obruncavit.
 Sed & cælum iratum ostendit, quid
 contra impios posset. Et Dodoni qui-
 dem putrescenti humum etiam nega-
 ram scribunt: eum verò, qui Divo le-
 thale vulnus infixit, duello & fratrem

K k 2 per-

peremisse, & peremptum ab eodem fuisse; omnes denique scelerum socios aut mortuos illico esse, aut diu, hoc est misere, vixisse. Illud omnino memorabile, odium, quo infandos amores persequebatur L A M B E R T V S, ab animo etiam in corpus demortui transfusse, & cum passim exanimi oscula ferret vulgus, arcanâ vi solas ab his pellices exclusas esse. Atq; huius odii tantis sancti hæredem te hodie L A M B E R T V S vult, Mariane. Ex *Sur. & Graf.*

S. S A T Y R V S C. 17. Septembru.

Ambrosium in S A T Y R O vides. Nam frater hic illius fuit, non virtute modò sed vultu quoque & habitu corporis tam germanus, ut familiarium etiam oculos falleret. Et nesciissent hi sapius, quemnam ex duobus alloquerentur, nisi amor & vitæ morumque similitudo adeoque animorum consensus unum jam pridem ex geminis fecissent. Erat porrò in S A T Y R O ea animi simplicitas, ut columbam; ea prudentia, ut serpentem; virtutum fragrantia tanta & copia, ut hortum iure dixisset. His ille præfidiis instructus rem fratris domesticam ira administrabat, ut pietas familiam duceret. Eripi sibi oculos credebat Ambrosius, cum ex oculis S A T Y R V S abiret. Abibat tamen, cum negotia id exigebant.